



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1858

2196. Die Markgrafen Otto und Albrecht entschädigen das Kloster Broda
für die Abtretung des Grund und Bodens für die Stadt Neu-Brandenburg,
am 9. Juli 1271.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56621](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56621)

moldo, comitibus Zwerinensibus, placitavimus in hunc modum, ita quod filia nostra iam dicto comiti Helmoldo iuniori de Zwerin legitimali copula desponetur. Huic nobili viro cum filia nostra dabimus sexcenta (?) milia examinati argenti aut pro marca qualibet duo talenta Luneburgensis monete secundum tempus et inducias inter nos ordinatas: primo termino dabimus ad presens mille marcas examinati argenti ante festum Epiphaniæ; secundo termino, hoc est in die beati Martini presentabimus iam dicto comiti filiam nostram in domum suam et duo milia marcarum argenti puri presentabimus ipso termino cum filia nostra, tali cum pacto, ut nobis et filiis nostris, iam dictis ducibus, castrum Parchem cum opido et terra adiacenti a comitibus iam prelibatis libere presentetur, secundum terminos distinctos inter ducatum nostrum et terminos marchionum, quod in medio fluminis aque, que Eldena dicitur, termini nostri et marchionum dividuntur, ipsi etiam coloni totius terre et cives opidi Parchem tenebuntur iam dictis comitibus ad id theloneum et ad eandem exactionem, quam dare consueverunt temporibus domini Prippezclawi; tria vero milia marcarum, que adhuc dare tenemur, in quibus nos obligavimus, dabimus in termino ipsius anni et spacio eiusdem, caucione sufficienti iam dictis comitibus data pro pecunia eadem, hoc etiam interposito, quod ipsi comites a nobis et a nostris filiis iam dictis ducibus villam, que Radum dicitur, sitam in terra Parchem, in terminis suis, quibus nunc gaudet, et cum omni iure, tenebunt iure feudali. Super isto facto nostro firmiter observando nos personaliter cum filiis nostris et Georgius et Theodoricus milites dicti de Hiddezerker et meus pincerna promissimus fide data. Si quis autem nostrum hoc decretum nostrum imprimere presumpserit, mille marcas examinati argenti tenebitur alteri persolvendo, promisso nichilominus inter nos facto firmo stare. Datum Lovenburch, anno domini M^o CC^o LX^o III^o, die Clementis martiris.

Aus dem Abdruck in den Meckl. Jahrb. XI, 250.

2196. Die Markgrafen Otto und Albrecht entschädigen das Kloster Broda für die Abtrennung des Grund und Bodens für die Stadt Neu-Brandenburg, am 9. Juli 1271.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Otto et Albertus, Dei gracia Marchiones Brandenburgenses, omnibus in perpetuum. Cum urgentis in senium seculi corruptela non solum defectum corporum sed etiam oblivionem actuum efficiat, per momenta temporum dignum est, quod ea, que ratione previa a quibuslibet ordinantur, scripti munimine roborentur, ut sic facti precedentis cognitionem plenam habeat posteritas secutura. Hinc est igitur, quod notum esse volumus tam presentibus quam futuris tenore presencium protestantes, quod nos, ob reverentiam et honorem Domini nostri Ihesu Christri ac intemerate virginis matris ejus Marie, ecclesie sancti Petri apostoli in Broda, ubi collegium canonicorum sancti Augustini jugiter Deo deservit, in

recompensationem et restaurum fundi civitatis nove Brandeborch, qui fundus ejusdem extitit ecclesie, in superiori parte dicte civitatis versus castrum Stargarth in duobus molendinis sitis in flumine, quod vulgariter Stargarde dicitur, duos choros filiginis assignantes, in inferiori vero parte jam dicte civitatis in molendino, quod inter civitatem et cenobium Brode, terciam partem census et omnium proventuum, qui exinde poterunt provenire, ecclesiam quoque parrochiam memorate civitatis Brandeborch et jus patronatus ejusdem vel si cum processu temporis ibidem parrochie forsitan exstruantur, prefate ecclesie donavimus, sex quoque mansos dicte parrochie attinentes, donavimus inquam propria et perpetuo possidenda hec omnia supradicta. Preterea villam Mechow, que sita est apud Lichinam, que habet sexaginta mansos, cum omni jure in eadem integritate et potestate, qua nos habuimus, cum omnibus suis attinentiis similiter donamus predicte ecclesie propriam et perpetuo possidendam. Addimus quoque eidem ecclesie piscaturam in stagno, quod Tolense vocatur, ad perfectiorem sustentacionem fratrum predicte ecclesie Brode quocumque modo piscari poterunt, excepto cum retibus magnis, que niwade vulgariter nuncupantur. Insuper et anguillarum capturam, que est in exitu aquarum stagni, quod dicitur Tolense, quam de uno litore ad aliud ad usus suos disponendam a prima plantacione ipsius civitatis predicta ecclesia cum omni jure libere possedit, fratribus predicte ecclesie contulimus omni procul impedimento jure perpetuo possidendam. Ad amplius quoque commodum predictorum fratrum ex nostra est plenaria voluntate, quod molendinum in Brode in eorum curia construatur, quod ex habundantia stagni, quod Tolense et Stargarde nuncupatur, habeat necessarias sibi aquas. Vt autem hec omnia supradicta per nos atque succedentes nobis heredes nostros in perpetuum inviolabiliter observentur, presentem paginam inde conscriptam sigillorum nostrorum appensionibus fecimus roborari. Hujus rei testes sunt nostri milites et vasalli Henricus de Wudensuege, Henricus de Heidenbrake, Rodolfus Munt, Henricus Dargaz et dominus Arnoldus, plebanus de Woldegge, et alii quam plurimi fide digni. Actum et datum in castro Stargarde, anno Domini M^oCC^oLXXI^o. Idus Julii VII^o.

Nach Wolf's Geschichte des Landes Stargard I, 295, wo noch bemerkt ist, eine zweite Ausfertigung ist zwar mit Siegeln der beiden Markgrafen versehen, aber sowohl das gröbere Pergament und die gezwungene Handschrift, als auch der Inhalt machen diese Ausfertigung der Urkunde sehr verdächtig. Außer unbedeutenderen Abweichungen in der ersten Hälfte, lautet der Schluß nach den Worten que niwade vulgariter nuncupantur. Ad amplius quoque commodum predictorum fratrum ex nostra est plenaria voluntate, quod molendinum in Brode in eorum curia construatur, quod ex habundancia stagni, quod Tollense dicitur, habeat necessarias sibi aquas. Statuimus quoque sic, quod in molendino constructo in curia predicta nulli debeant molere, nisi illi de curia et eorum homines de villis eorum Brode scilicet et Damerowe. Altamen si fratres predicte ecclesie aliquo anno, prout eis placuerit, sex choros vel octo vendere voluerint, si placet eis, in molendino possunt molere supradicto. Vt autem hec omnia supradicta per nos atque succedentes nobis heredes nostros in perpetuum inviolabiliter observentur, presentem paginam inde conscriptam sigillorum nostrorum appensionibus fecimus roborari. Hujus rei testes sunt nostri milites et vasalli Hinricus de Wodenswege, Hinricus de Hedebrake, Rodolphus Munt, Hinricus Dargaz et dominus Arnoldus, plebanus de Woldege, et alii quam plurimi fide digni. Actum et datum in castro Stargarde, anno Domini M^oCC^oLXXI^o. Idus Julii VII^o.